

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

XXXV.

CHARTA FUNDATIONIS MONASTERII FRIENISBERG IN HELVETIA.

A N N O M C X X X I.

Ad rerum gestarum memoriam conservandam, quæ pro animarum remedio devotè a fidelibus gesta sunt, cartæ præsentis Attestatione fideli nostræ posteritatis notitiæ transmittere curavimus; Notum ergo fieri volumus tam futuris quam præsentibus, quod ego Udelhardus Comes dictus de Seedorff, & uxor mea Adleidis, laudante matre mea Chunzza obtulimus pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum & filiorum, omnipotenti Deo, & benedictæ Dei genetrici Mariæ, liberum ac proprium juris nostri allodium, Frienisperg nominatum, per præstitutos terminos, a magno lapide Grifio juxta viam, quæ dicitur Chazzunstaga, per ascensum ipsius montis, totum latus versus Orientem, per viam quæ ducit ad villam quæ appellatur Winterswiler, & a suprascripto lapide per alium subjacentem collem dictum Schallenberg, quicquid infra habeo summitatem ipsius montis Frienisperg contra orientem, occidentem & meridiem, ut ibi fiat Abbatia, de Ordine Cisterciensi, & sicut solent Abbatiarum talium fundatores, dedimus eidem Abbatie omnia usualia per terras nostras, tam in plano, quam in bosco, sive ad focum, sive ad ædificium, pasturam omnimo-

dam tam animalibus & pecudibus, quam & porcis ipsorum; quod si forte damnum aliquod in pratis vel fatis, vicinorum pertinentes ad Frienisperg intulerint, pretium damni absque aliqua exactione restituetur; & ubi in nemoribus nostris novalia fecerint, libera habeant; si quis etiam de hominibus nostris vel se vel possessionem suam sæpe dicto jam loco conferre voluerit, absque ulla contradictione potestatem habebit; insuper etiam lacum potestatis nostræ in marchia Sedorf situm, libere tradidimus, ut eo utantur, nec quisquam eos infestare ibi audeat, vel absque assensu eorum piscari præsumat.

Facta est hæc donatio omni firmitate subnixâ, in manu Domini Christiani Lucelenfis Abbatis, ejusque religiositati credita, ut, sicut supradictum est, Abbatia Ordinis Cisterciensîs ibi Domino serviens in perpetuum consistat, Anno dominicæ incarnationis Millesimo, centesimo, tricesimo, primo, 1131. Indictione nona, concurrente VII. Sedi Apostolicæ præsidente piissimo Papa Innocentio; Regnum obtinente Luthero. Constantiensem Ecclesiam Gubernante Reverendo Pontifice Udelrico. *Ducatum Burgundiæ nobiliter regente Duce Conrado.* His videlicet testibus duobus plebanis Messrido de Sedorf, Hugone de Ratolfingen, Chonone de Grenechun, Ullrico de Telsperg, Immone de Lisso, & aliis multis de nostra familia.

Sicut igitur hæc Domino inspirante, pro remedio totius parentelæ nostræ, tam præcedentis quam subsequæ donavimus, ita se perpetuo maledicto noverit innodatum, qui hac qualibet machinatione infringere tentaverit.